

### III.

## REGNUM MORTUORUM.

Nro. 82.

---

### *Politica Mortuorum Colloquia.*

---

E yslum-Meum.-Die Veneris 28 Nov. 1809. (Neov. 10. Nov. 1809.)

Quis? quid? ubi? quibus auxiliis? cur? quomodo? quando?

Propitium belli martem, unus semper habebat?

*Quaestio curiosissima.*

*De Causis victoriarum Gallorum.*

**G**audium æstusque de pace tandem subdidit; numerosi Elysi colæ meditabundi oberrant, exiguo animo lætandi fracti. Ubi vesperascebat congressibus indulgebant, excellentissimique fortunatissimi milites eorum quæstionem proponant: quænam causæ essent victoriarum Gallorum?

Veteranus Germanus miles diu disquisitionem problematis auribus excoipiebat, tandem sede sua decedens, ajebat: „Jam Anno 1807 præclarus scriptor Germanus secundum sæculi hodierni genium hanc explicuit quæstionem prælegere eum juvat, favete!

„Experientia evidenter loquitur satis, audire, & sapere volenti. Exercitus Gallorum ex omnibus Civium classibus coalescunt. Cultissimus rudissimo convivit, cum eo pugnat, hincque id commodum, consequitur,

mentem excelsi, ingenium suum perfici, cognitiones augeri, percipi aciem amplificari. — Nihil culturam magis promovet, quam Incolarum ejusdem status permixtio, consortium & occupationes mutuae, verbum, quod prolatum, cogitatio, quæ declaratur, potenter attentionem irritat, vim mentis excitat, omnemque invitum etiam ad meditandum compellit.

In hac hominum mixtione omnia species *talentorum* reperitur; ad quodvis negotium adest v. r. ei gerendo par. Si in prælio Officialis occumbat, protinus de grege quidam vicem ejus sustinet, qui eminendi studio præditus, omnes ingenii vires intendit ad coeundum debellandumque hostem. Apud Germanos occumbentibus Officialibus Centuria aut agmen duce caret, vel fugam arripit, aut capi se sinit, quod nemo sit, qui aciei præire audeat, raroque gregarius eam auctoritatem, & mentis dexteritatem habeat, ad stationem hanc feliciter obeundam.

Apud Gallos quisquis excellit Officialis aut demum Generalis Dux evadere potest, quivis merito suo ad commodum præmium sperare potest, cumque hæc gens honoris cupiditate potissimum ducatur, hinc fit: "ut quivis adnascatur cæteris eminentius factum edere, quo in oculis aliorum auctoritatem nanciscatur, promotioneque dignum in exercitu semet reddat. Spes præmii honorisque, prærogativa præ aliis adipiscendæ certitudoque: se pedatentim dexteritate, alacritate præstantiaque summam in exercitu dignitatem consequi pos-

se, accendit animatque quemlibet validissime ad intendendas vives. In tumultu armorum, in conspectu prælii ambitio potentius operatur, quam metus periculorum, imo ipsius mortis, oppetendæ, quo fit, ut animose irruat in hostem, omniaque audeat fiduciæ referendi victoriam pleas, ut omnia lucrifaciat.

Homo bello successive avescit ejus aspectus principio horridus — miles primam arenam ingrediens tremit, cordis sentit angustias. — sensim & lente solum id extenditur, mortis metus evanescit. Galli ex duobus de viginti annis bella gerunt, pars bello seu continuæ occupationi avēfacta est, qui primum ordines talium bellatorum subeunt, animi mentisque tranquillitate horum excitantur, periculo avēcunt brevique post veteranos, qui præliis incanuerunt, adæquant. — Miles aciem expertus callet: non omnem ferire, tanto minus exanimare bolidem, curæ expertus inter g'oborum imbres oberrat, & metu solutus hostem exquiri, — id vero tritum: audaces fortuna juvat, timidosque repellit, qui animose periculo occurrit eum fugit. Crocodilo similis naturæ est, qui audax contra fugientes bestia, fugax contra insequentes. Ipse homo periculum domando est, dummodo ei fortiter, alacriter, & prudenter se opponat.

Qui diuturno tempore pugnavit secundam continuo expertus fortunam, tanta in victoriam fiducia fertur, ut ea ipsam adferat. Ex multis annis Galli continuo superiores erant, formidabilissimos exercitus cæciderunt, enor-

mbusque victoriis pacem vindicant. Conscientia difficultatum superatarum vires eorum alacritatemque auget, celumque habent ob continuas victorias se quovis tempore victores futuros. — Qui aliquid firmiter, & constanter expectat, vulgus, is id etiam consequitur operæ non parcens. Ita se res habet apud Gallos intuitu victoriarum eorum. Expectant victoriam certe, & refertur etiam.

Occasione victoriæ solum emolumenta honorque legitur, quippe Cladem aut mors, aut ignominia consequitur. Quamdiu Galli progrediuntur, incidunt in provincias bello nondum devastas, quarum incolæ necdum bello depauperati. — Edendum, bibendum his superest, at receptum canentes exhaustas revivunt ditiones, omnibus laborant. — Spes ad reliqua agendi eorum motiva accedit, intensionem virium auget, tamque audaciam alit, quam pugnandi roborat perseverantiam.

Galli in Napoleone ducem habent prospera ad hoc usum fortuna, qui summam fortunam summa cognitione hominis conjungit, Novit is apte animos hominum moderari, eorumque sensa ad expletionem finium convertere, quos sibi præfixos habet. — Audax & laboriosus audet non modo omnia, verum & perficit ea quoque meditando, atque perspicuendo, videtur propemodum artem victoriam vincendi callere. — Novit suas vires partesque dissidentium imbelles, novit partem victoriam in rem suam convertere, qua nullus ante antecedentium se ducum ratione. Agit

In uno loco, quod si in eo successus respondit, reliquis imminet. Metus & terror tum in exercitu hostium se insinuat — eorum animi cadunt, fiducia vacillat, & dum si quid agendum deliberant, jam in fugam acti sunt. Jam si animo expendatur: quantum tam potens genius in animis humanis valeat, tum non tantopere victoriæ Gallorum admirationem excitabunt. Quam Borussia olim magno Friderico, tam hodie Galli Napoleoni fidunt. Ejus sub auspiciis se invincibiles existimant; & hæc opinio tamdiu iis victoriam procurabit, quamdiu æquales vires, æqualis perspicacia, æqualis conatus iis oppositus non fuerit.

Generalis Status exercitus Gallici constat eminentissimis ingeniis, peritissimique viris ex natione, qui audacissima consilia cedere intelligunt; quæ quovis tempore gravissimas sequelas ferre debent. Omnis generis scientiæ, ad felicem successum necessariæ huius Collegio propriæ videntur; cumque proat exercitus juvenibus & robore virium polentibus viris conflatum sit, nulli parcit operæ, nullo turbatur metu, nulla cunctatione ab opere retardatur. —

Singulares copiarum ductores munera sua meritis adepti, cumque conscientia dignitatis alicujus muneris, fiduciam animositatemque conciliet, fit: ut periculum quodvis subeant, illudque superent. Fiducia in se, fiducia milites in eos ducuntur; & hæc reciproca fiduciæ cooperatio victoriam eorum signis alligat.

Exercitus Gallorum numerosi sunt. Una Cohorte ad cedendum adacta, ejus vice alia progreditur. Hac ratione hostis, non ita frequens, non modo fatigatur, verum etiam animus si adimitur, quod nullam spem vincendi prævideat. Galli non prius desistunt, quam victoriam parant, dumque homo firmum decretum, consilia cum vitæ solum jactura missum faciendi, habet, voti damnatur nihil in contrarium valentibus impeditis. —

In novissima expeditione bellica Galli numerosum quoque equitatum, equis bene provisum, molimina audentem & temerarie agentem habebant. Ex omni parte adgredientem, non raro veloci cursum dissolventem ordines, ex ejus medio tormentarii Equites eadem & mortem circumfert. Re sua tormentaria quam copiosa tam bene dirigitur, perinde victoriam sibi certam reddunt.

Singulares turmæ sæpe numero admodum perniciose se separant, & eadem celeritate se conjungere norunt, ut in massa ut ajunt junctis turmis totaque vi concentrata in hostem impetum facere possint. — Quivis singularis Gallus pro se pugnare novit, cumque decretum animo habeat, quavis ratione hosti nocere, quamvis ad id perficiendum occasionem arripit.

Proclamationes aliaque præterea adjuncta victoriæ Gallorum adjuvare isthic memorandum non est.

Ita se habeat Causæ victoriarum ab exercitu Gallico relatarum.

In novissima orbis historia seqv. memorabile legitur argumentum :

„Dantur subinde scripta, quæ non quidem ad historiam hodierni ævi, sed nihilominus præsentis rerum articuli pertinent; atque ceu descriptio imaginis hodie viventium præteriri nequeunt. Lege, sis, exempli gratia dissertationem nuper Casselæ, & Heidelbergæ editam: *Systema foederativum ætorum veterum, comparatum cum hodiernis.* (Le System foederatif des anciens mis, en parallèle avec celui des modernes) auctore E. A. Zinslerling Prof. Historiæ apud Juvenes ministros Regis Vestphaliæ. Ex ea disces: Supremi denique Numinis voluntate factum videri: ut homines post exactæ pueritiæ secula ea ratione gubernentur, quæ cum eorum ratione cohæreat, quia eorum salus perturbetur; disces: a Deo ea de causa magnum heroem orbi datum, ut ei id fiat, quod spiritus omnia vivificant Universo præstat.

Hoc futurum: dum omnes gentes in unam amplam familiam connectit, cujus caput ille, inque qua quælibet reapse orbem terrarum gubernabit. Porro D. Z. demonstrabit tibi: Id genus confederationem statuum qualem Napoleo in parte jam hodie perfecit, ævo vetere non fuisse; omnium confederationes solummodo fortuitum, atque adjunctorum fuisse; Gallicanum foederativum Regnum consecrarium esse sapienter interum rationum. Auctorem, & executorem horum

consiliorum, ut caput novi Systematis Statuum Jure quoque pollere in Statibus foederatis leges fundamentales mutandi, si convenientes (et illas non videntur amplius, neque satis temeritatem nonnullorum Germaniae Eruditorum stuporem elicere posse, qui leges Rhenani foederis ita discutunt, quasi eae aeternae essent, quibusque ferendis ipsi partem haberent! — Pro foederative Gallico Systemate constantem haud prius expectandam legem esse, quam id omnes orbis gentes complexum fuerit! — Hactenus D. Zinserling — Ab eo illam quoque novitatem docemur: Opera Mirabauil de Monarchis Borussiae ideo in Germania applausum non tulisse, quod ea plena spiritus essent.“ (Subjicit *Recensens*: si rectum tenet D. Zinserling caveo fide mea; ejus opus ex contraria ratione, maximum applausum feret.“)

Parisiis die 6. Nov. Mareschallus Dantiscanus isthuc adpulit. Consiliarius quoque Status, Auditor et secretarius Interpres Imperatoris Jaubert Vindobona advenit, mox Fontem bellaqueum se contulit. Mareschallus Ragusanus pro recipiendo militari imperio in provincias illyricas profectus est.

---